Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ste omnia. Et ostendi uobis quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos. ac meminisse uerbi domini iesu qui dixit. Beatius est magis dare quam accipere. Et cum hec dixisset. positis genibus suis cum omnibus illis orauit. Factus magnus ante fletus factus est omnium. et procumbentes super collum pauli osculabantur eum. dolentes maxime hoc quod dixerat. quoniam amplius faciem eius non essent uisuri. et deducebant eum in nauem.

XXI

Cum autem ad nauem factum esset ut nauigaremus abstracti ab eis recto cursu uenimus coum. et sequenti die rodum. inde uniram. Et cum inuenissemus nauem transfretantem in phenicem ascendentes nauigauimus. Cum apparuissemus ante cypro. relinquentes eam ad sinistram nauigauimus in syriam. et uenimus tyrum. Ibi enim navis erat exponens onus. Inuentis autem discipulis mansimus ibi diebus septem. qui paulo dicebant per spiritum. ne ascenderet ierosolima. Et expletis diebus profecti ibamus deducentibus nos omnibus cum uxoribus et filiis usque foras ciuitatem. Et positis genibus in litore orauimus. Et cum ualedixissemus inuicem ascendimus in nauem. illi autem redierunt in sua. Nos uero nauigatione expleta a tyro descendimus ptolomaida et salutatis fratribus mansimus die una apud illos. Alia autem die profecti

uenimus cesaream. et intrantes domum philippi euangelistae. qui erat unus ex septem. mansimus apud eum. Huic autem erant filie quatuor uirgines prophetantes. Et cum moraremur ibi dies aliquot. superuenit quidam uir iudaea. propheta nomine agabus. Is cum uenisset ad nos tulit zonam pauli et alligans sibi pedes et manus dixit. Hec dicit spiritus sanctus. Virum cuius est zona hec. sic alligabunt in ierusalem iudei. et tradent in manus gentium. Quod cum audissemus rogauimus nos. et qui loci illius erant. ne ascenderet ierosolimam. Tunc respondit paulus et dixit. Quid facitis flentes et affligentes cor meum. Ego enim non solum alligari. sed etiam mori in ierusalem paratus sum. propter nomen domini iesu. Et cum ei suadere non possemus. quieuimus dicentes. Domini uoluntas fiat. Post dies autem octo paratis ascendebamus in ierusalem. Venerunt autem quidam ex discipulis caesareae nobiscum. ad ducentes secum apud quem hospitaremur. iasonem quendam cyprium. antiquum discipulum. Et cum uenissemus ierosolimam libenter exceperunt nos fratres. Sequenti autem die introibat paulus nobiscum ad iacobum. omnesque collecti sunt seniores. Quos cum salutasset. narrabat singula que fecisset deus in gentibus per ministerium ipsius. Illi cum audissent. magnificabant deum. dixerunt que ei. Vides. frater quot milia sunt in iudeis qui crediderunt